SCHEDIASMA HISTORICUM DE VALACHORUM HISTORIA ANNALIUM...

Johann Filstich, Valenti Gonzaga

Latere nonnihil arcani ac diuini in Gentium originibus, admirandisque earundem translocationibus, a nobis a poſteriori duntaxat inueſtigandi, omnes, quodquod de ſapientiſſimo DEI mundum incolis ſuis replentis arbitrio, ſemet plenius perfectiusque erudiri paſſi ſunt, mecum, vt ſpero, confitebuntur. Eſt enim extra omne dubium poſitum, quod DEVS ſua non praecipitanter, ſed pro ea, qua pollet, ſapientia, in his terris ſua perficiat, nihilque ſine ſufficientiſsima ratione, hic, illic, inter populos fieri permittat: multo minus fortuito aliquid in tantis rerum humanarum conuerſionibus et vicisſitudinibus euenire ſinat. Quaecunque certe ex admiranda DEI, pro ſuo beneplacito, ſublunaria haecce conflectentis directione fluunt, ſuas habent cauſſas et rationes ſolide fundatas, ſuos reſpectus ſanctisſimos, ſuosque fines ſaluberrimos, a nobis de-

bita, ac pia mentis humilitate iterum, iterumque penſitandos, noſtrisque vſibus vt par eſt applicandos. Hiſce praeſuppoſitis, quis quaeſo populorum e ſedibus ſuis paternis, in alias terras euocatorum, migrationes, ſine Numinis ſupremi directione ſuſceptas nuncupare auſus fuerit? Quis Colonias ex vno Regno in alia effuſas, vocabit vlla veritatis ſpecie fortuitas? Quis locorum habitabilium occupationes, arbitrio ſolummodo humano, ac beneplacito tribuere poteſt? Sed ſingula haec vnicuique tam diu manebunt obſcura, donec Gentis cuiusdam coelitus, e ſedibus ſuis antiquisſimis euocatae, et ſub peregrinam ſolem locatae, exemplo, vt decet, fuerint illuſtrata. Quum vero propter modernos bellicos tumultus, quibus ex permiſſu diuino, Sileſia, Morauia, Bohemiaque, cum vicinis regionibus haud parum turbantur, et eneruantur, itinerumque difficultates exinde exortas, nobis iam extra patriam peregrinari haud liceat, intra eandem eo lubentius manebimus, quo plura Tanſiluania haec noſtra, non ſine ſapientisſima DEI directione, aliunde huc venientium Nationum nobis ſuppeditare poteſt exempla. E quarum numero populum Valachicum per multa ſecula, has terras nobiscum inhabitantem, non ſine fato diuino, in ſe quidem ſatis ignotum, obſcurum, incultum, agreſtem et impolitum; ſed propter parentum ſuorum merita ac ſplendorem, a quibus deſcendere, ortumque ducere, vulgo creditur, in toto orbe ſatis celebrem, iam in medium producam. Qui enim coeli, terraeque eſt Dominus, poteſt, pro eo, quo

in-

inſtructus eſt iure, vnicuique populo ſub ſole, illud adſignare habitaculum, quod ſuis circumſtantiis demum conuenientisſimum fore, antea praeuidit. Cui populorum dislocationi praeluſiſſe mihi videtur DEVS tempore adhuc Ioſuae, per quem occupatam Palaeſtinam non pro voto et arbitratu populi Iſraelitici, ſed pro imperſcrutabili ſuo decreto, inter tribus diuiſit. Huc reſpiciunt verba, quae Actor. XVII. 26. hoc modo leguntur: Fecit DEVS ex vno ſanguine totam hominum Gentem, vt habitaret ſuper vniuerſa terrae ſuperficie, definitis praeſtitutis temporibus, et poſitis terminis habitationum humanarum. Quae contrariantur dogmati Epicuraeorum falſisſimo, omnia caſu fieri, et res humanas in mundo, modo ſurſum, modo deorſum volui fortuito. Asſignauit ergo Deus et huic populo Valachico Tranſiluaniam in habitaculum et domicilium. Cui a ſaeculo ſecundo, inter tantas rerum Daciarum reuolutiones, in hunc vsque diem, quam felicisſime ſub variis circumſtantiis hanc Regionem inhabitare licuit. Quorum Hiſtoriam, ſi paullo attentius intueamur, multa prouidentiae Diuinae in illa quam luculentisſime depicta, deprehendemus veſtigia. Vix a tam longisſimo tempore haecce Valachorum Gens patrios ſuos ritus, et conſuetudines ſuas auitas, tanquam indubitata Generis ſui romani criteria retinere potuiſſet, vt credo, niſi Deus, benignisſimus ille Gentium curator et protector, et huic populo, quaſi romani Gentis fragmento ſpecialisſimam ac ſingularem, conſeruationis defenſionisque, ſuae gratiam in hac Prouincia largiri

 giri

giri dignatus eſſet. Quod autem Valachi noſtri non aliunde, quam ab antiquis Romanis ortum ſuum ducant, ſequentibus argumentis dabo demonſtratum: 1.) Teſtimonio Hiſtoricorum domeſticorum vtpote Tepeltini de Medgyes in ſuis Originibus Tranſiluanorum * 2.) Conſenſu Romanorum ſcriptorum ſcilicet *Eutropii* et *Vopiſci*, qui vno ore in vita *Traiani* fatentur; hunc Imperatorem Romanorum deuicta Dacia, ex toto orbe Romano infinitas copias, ad agros et vrbes colendas transtuliſſe, iisque ius ciuitatis dediſſe. Quae ſic vti nullo modo de Gethis, aut Dacis, vel Hunnis e Scythia egresſis, intelligi poſſunt; ſic de Valachis ſolummodo, quos Romanorum reliquias adpellauimus, ſunt capienda. 3.) Non aliud indicat propria Valachorum adpellatio, qua ad diſtinctionem reliquorum conciuium ſemet *Romunius* adpellitare ſolent, quod vix fieret, niſi ex traditione, et parentum relatione didiciſſent, ſe Roma, in hanc Europae particulam quondam adueniſſe, et in hac Prouincia domicilia ſibi, Deo ſic dirigente, conſtruxiſſe. 4.) Non aliud oſtendit et lingua Valachorum, hodie vernacula, quae eſt corrupta latina, ac temporum tractu multis vocibus peregrinis ac barbaris tantopere aucta, et contaminata, vt ſibi non amplius ſimilis eſſe videatur. ** 5.) Haud illepide *Martinus Opitius* a

Ga-

* pag: 50. et Cap. II. p. 71. Conf. quoque Troeſterus Cibinienſis *in ſeinem alten und neuen Teutſchen* Dacien Cap. 4. et 5. a pag. 338. vsq. 349.

** De quo, qui plura ſcire cupit, euoluat Ill. D. M. Schmeizelii doctiſſimi Conterranei noſtri *Verſuch zu einer Hiſtorie der Gelahrheit* Cap. 5. nro 6. pag. 382. ſqq.

Gabriele Bethlenio, Principe Tranſiluanorum, e Sileſia ad docendas bonas litteras, *Albam Iuliam* vocatus, Poeta inſignis, in ſua *Slatna* ſiue itinerario Tranſiluanico, ex choreis Valachicis *Horra* nuncupatis, ſanguinem eorundem Romanum, ſequentibus verſibus comprobauit.

So ſteckt manch edles Blut in kleinen Bauern Hütten
Das noch den alten Brauch, und Arth der alten Sitten
Nicht gäntzlich abgelegt, wie denn ihr Tantz anzeigt,
Indem ſo wunderbahr gebückt wird und geneigt;
Geſprungen in die Höh, nach Art der Capriolen,
Die meine Teutſchen ſonſt aus Franckreich müſſen hohlen,
Bald wird ein Kreiſs gemacht, bald wiederum zertrennt.
Bald gehn die Menſchen recht bald auf der lincken Hand,
Die Menſcher die noch ietzt, faſt Römiſch Muſter tragen,
Zwar ſchlecht, doch witzig ſind, viel dencken, wenig ſagen. &c.

Praeterea quod huius eſt, euincunt quoque mores, ritus Valachorum, vt et certa ciborum genera Romanis vſitata, v. g. pultes, cepae, quibus Valachi nimium delectantur. Haud minus Romanus Valachorum ortus colligi poteſt ex veſtimentis, quibus vterque ſexus in Tranſiluania vtitur. Sagula eorundem, caligae, ſocorum ligamenta, et plura ſunt certiſſima Romanae ſuae originis criteria.* Quibus argumentis ſequentia addo: Nimium amorem,

* De quibus conferri meretur pluribus ſupra citatus Troeſterus *in ſeinem alten und neuen Dacien.* Cap. 4. p. 339. ſqqq.

rem, quo hodie in Aulis Vaiuodarum, vt Valachiae, ita Moldauiae linguam Italicam proſequuntur, adeo, vt illa longe magis excoletur, quam vernacula ipſa a Boieronibus, ſiue Valachorum Nobilibus. Nec aliunde Vaiuodae Medicos et Secretarios ſibi arceſſunt quam ex Italia, eo forte fine, vt reliquis populis oſtendant, a quanam Gente ſint deriuandi. Hoc fine fit, quod filios ſuos, litterarum tractandarum cauſſa ad Patauienſem, antiquisſimam illam Italiae Academiam dimittant. Quibus plura adhuc argumenta adiicere poſſem, niſi temporis breuitas id prohiberet. Huc accedit, quod innumera adhuc, antiquitatis monimenta, ſaxis et marmoribus inciſa, per Tranſiluaniam deprehendantur, vt et monetae a Romanis cuſae, inueniantur, quibus liquido oſtendi poteſt, Valachos eſſe Romanarum coloniarum, cum Traiano huc aduenientium, reliquias. Fuſtes nodoſi, haſtae, ſecures, baltei, claue feruminatae, aliaque arma a Romanis accepta, quibus Valachi armati hoſtibus ſuis occurrunt, non obſcurum, de ortu ſuo Romano, perhibent teſtimonium. At, auguriis, haud vanis ductus praeſagire videor Te L. B. tacite haec nobis obiicere: nonne nitidiorem ac cultiorem populum in Europa inuenire potuiſti, cuius natales et incunabula in praeſenti traderes, quam Valachos hos obſcuros, illitteratos, grobungos, Gentique noſtrae Saxonicae valde infenſos? Quibus, vt inſtituti noſtri rationes eo clarius pateant, et ſic ab omni vitio nos abſoluant, ſequentia reſponſionis loco dabimus: Suppeditauit nobis occaſionem, ad huius materiae

lon-

longe difficillimae elaborationem, Celſisſimi Principis hodierni Moldauiae, *Conſtantini* de *Mauro Cordato* filii natu maioris, Principis illius Valachici longe doctiſſimi, qui paucis ab hinc annis, maximo ſuorum luctu Buckreſtini defunctus eſt, poſtulatum, quo a Generoſo quodam, noſtrae vrbis Coronenſis Viro, initia ſui populi Valachici, a nobis honorifice petiit. Quocirca iuſſit nos quoque ius cohabitationis, et vicinitatis, quo ipſis obſtricti ſumus, tam honorifico petito, pro virium noſtrarum menſura, facere ſatis, vt quod ab ipſis fieri nequit, nos hic Coronae, quibus Dei benignitas litterarum vſum abundantius conceſſit, praeſtare conaremur. Vt ergo omnibus et ſingulis pateret, quantum Hiſtoria Valachica, Hiſtoriae noſtrae Tranſiluaniae lucis, praeſidii, vtilitatis et adiumenti adferre poſſet, ſtuduimus breuiter *de Valachorum Hiſtoria Annalium Tranſiluanenſium multis in punctis vt magiſtra, ita et miniſtra* aliquid commentari ac in chartam coniicere. Quod dum facere conor, Te L B. rogamus, vt nos, in hiſce paucis, ex variorum Auctorum operibus, et manuſcriptis Valachicis operoſe collectis, perbenigne legas, ac deinceps limatiora, et prolixiora ab eo, quem Deus pluribus ad elaborationem Hiſtoriae Valachicae pertinentibus ſubſidiis reddiderit inſtructiorem et aptiorem, exſpectare haud dedigneris.

Antequam rem ipſam adgredimur L. B. poſtulant a nobis leges methodi vbique receptae, vt primum de nominibus Valachorum, e latebris ſuis eruendis, ſollicite cogitemus, quibus probe cogni-

tis, ſequentia quae ad cognitionem totius Hiſtoriae Valachicae pertinent, cuilibet vt exiſtimamus, eo faciliora, et clariora euadent. Haud pauci Hiſtoricorum Valachos dictos, fuiſſe putant a quodam *Flacco* centurione Romano, qui hanc Regionem Daciae veteris mediterraneam, tempore *Traiani* debellauerit, ac in Prouinciae formam redegerit, immo etiam Colonias Romanas patriae noſtrae introduxerit. Cuius opinionis auctor *Aeneas Syluius* Piccolomini, qui papalem dignitatem ſub titulo *Pii* II. geſſit, fuiſſe creditur. A quo *Flacco* Prouincia, primum *Flaccia*, deinde mutata paulliſper voce *Flachia*, *Falachia*, ac tandem Valachia fuiſſe nuncupatam; cui adſtipulatur et Chronicon Turcicum Hungar. * cuius ſententiae fundamentum adduxit *Syluius* ex ſequentibus Ouid. *Naſonis* verſiculis Lib. IV. de ponto legendis:

Praefuit his Graecine locis modo *Flaccus*, et illo
Ripa ferax Iſtri ſub Duce tuta fuit.
Hic tenuit Moeſas Gentes in pace fideli
Hic arcu fiſos terruit enſe Getas.

E quibus, cum id ſolummodo colligi poſſit, quod *Flaccus* iſte Thraciae fines aduerſus Getarum irruptiones cuſtodiuerit, plurimi hanc Syluiani ſententiam pro figmento habent. Multo minus illi, rem acu tangunt, qui Valachos a *Diocletiani* filia, *Flacco* memorato, in matrimonium data, nomen Valachorum deriuant, quia horum adſertum, nullius fide digni Hiſtorici teſtimonio innititur. Et illi errant, qui Valachos a graeco verbo βάλλειν, ſiue peritia ſagitta-

* §. III. fol. 205.

gittarum emittendarum ſic dictos volunt, ſi quidem pluribus Gentibus fuit propria. Abludunt denique a veritate quotquot nomen Valachorum a *Tartaris* deducere conantur, quos tamen ipſa Valachorum vernacula a Tartarorum lingua, toto coelo diſtincta, facile refutabit. Quocirca nobis vero ſimilior illorum videtur ſententia, qui Valachos cum *Carione*, *Tepeltino*, aliisque a germanico verbo *Wallen* i. e. perigrinari, denominatos volunt, eo, quod Genti Teutonicae vſitatum fuerit, omnes ex Italia venientes populos nominare *Valeos*, ſiue *Valones* aut *Wanderer*, a qua voce temporum lapſu nomen Valachorum videtur exortum. Cui opinioni ſubſcribit et *Lenormantius Trunianus.* * Cur vero Valachi a Saxonibus noſtris dicantur *die Bloch*, ſimiliter Hiſtorici diſceptant. Sunt, qui illos a *Blachis* populis antiquis, alii vero aliunde, ſed nulla certitudine deriuant; nobis et hic non improbabile videtur, quod Gothi, ſiue Daci noſtri ideo Valachos *die Bloch* nominauerint, quod viderent eosdem a patrum ſuorum Romanorum moribus multum degeneraſſe, et longe ineptiores factos eſſe, ad capiendas tractandasque artes, et ſcientias, ideoque per iocum eosdem nuncupaſſe *die Bloch*, metaphora a ſtipite et trunco deſumta. Quo reſpectu et hodie Tranſiluani, hominem ineptum, rudem, ruſticitatique deditum, prouerbialiter nominare ſolent. Interim lubentes fatemur, quod veluti multorum nominum in mundo occurrentium Etymologiae in tantis rerum mutationibus, deperditae ſunt: ita nec huius

* In Praefatione Appendicis Rerum Hungaricarum fol. 619.

nominis deriuationem genuinam amplius ſupereſſe. Quam multa ſcripta hiſtorica, vel a tineis et blattis, vel a Vulcano habentur conſumta. Quam multarum rerum cognitio, cum ipſis auctoribus iacet ſepulta. Paucula duntaxat ſuperſunt, de Hiſtoria antiquiſſima, ſine dubio et illa iam pridem deperdita et amiſſa eſſet, niſi Deus pro ea, qua pollet, benignitate in maximum orbis litterati augmentum, et bonarum litterarum conſeruationem, artem typographicam, hominibus inſpiraſſet. Quod itaque Hiſtoriam antiquiſſimam populi attinet, ibi ſtatim funeſtum illud bellum, quod ſeculo I. poſt Chriſtum natum, inter Romanos, et Dacos, ſimiliter potentiſſimos, exortum in Scriptoribus Romanis, vtpote *Eutropio*, *Dione Caſſio*, *Floro*, *Vopiſco*, *Ruffo VI.* ceteriſque legitur, nobis occurrit, in quo *Decebalus*, fortiſſimus Dacorum Rex, duplici praelio a *Traiano* Imperatore fuit deuictus, eiusque Regnum Dacicum prorſus ſubiugatum, ac in formam Prouinciae Romanae redactum. Ne vero optima et feraciſſima haecce Europae Regio, propter ciuium, tantis in bellis trucidatorum paucitatem, bonitate ſua naturali degeneraret, vaſtaque et inculta maneret: nouis incolis, ex Italia ſecum adductis, eandem replere voluit *Traianus*, et quidem talibus, qui non modo colerent agros, ſed vrbibus quoque, toties deuaſtatis, priſtinum darent ſplendorem, ſi vel hinc veſtigia Romanorum cultiſſimorum Daciam ſubiugatorum, vbique eluceſcerent. Mox igitur videbas nouas Baſilicas, Templa, Statuas, Aquaeductus, Amphitheatra, Balnea, vias publicas, aliaque,

Ar-

Architecturae Romanae, monumenta, nunquam antea in his terris viſa, ſtupendo labore et ſtudio erecta. Quorum Aedificiorum rudera multa hic illic, per Tranſiluaniam deprehenduntur, de quibus parum ſolidi, in medium Tibi proferre licebit, niſi Valachorum Hiſtoriam in ſubſidium traxeris. Mox noua Tibi occurrebant inſtituta publicae ſaluti inſeruientia. * Mox admirari poteras nouas vrbes, hic, illic, e cineribus ſuis erutas, ac decus ſuum Romanum habentes. Loco enim Zargemetuſae Regiae *Decebali*, prorſus deuaſtatae, aedificabantur *Vlpia Traiana*, loco Apuli, *Alba Iulia* hodie dicta *Carolina*. Quo plura et maiora ſpolia *Traianus* a *Decebalo* hoſte nanciſceretur, eo plures facere poterat impenſas, repertis potiſſimum Decebali theſauris, ſub Sargetiae amne reconditis; cuiusdam Biculi Romani captiui indicio. Vnde Traianus tandem, in ſignum memoriae illius, hoc ſtatuit Epigramma: IOVI INVENTORI DITI PATRI TERRAE MATRI DETECTIS DACIAE THESAVRIS DIVVS NERVA TRAIANVS VOTVM SOLVIT. **

Habes ergo hic alterum exemplum L. B. quo modo Hiſtoria Valachica in nonnullis punctis iuuet Tranſiluaniam, illuſtret et confirmet, adeo, vt oleum et operam mihi perdere videantur, quicunque Hiſtoriam Tranſiluaniae conſcribere poſſe exiſtimant, Valachorum Hiſtoria, non in ſubſidium, vbi opus eſt, vocata. In quantum enim haec, a Valachorum parentibus in Tranſiluania ſunt facta; in

* De quibus euolui debet Ill. *Koloſcberi* in Auraria Dacia.
** vid, *Reicbesdorf* Chorographiam Tranſiluaniae fol. 569.

tantum etiam ad eorundem Hiſtoriam ſunt referenda. Defuncto tandem *Traiano* Imperatore nunquam ſatis laudando, ſucceſſores eius, inprimis *Licinius*, *Gallienus*, *Adrianus*, alii, inuidentes gloriae *Traiani*, deſperant, Daciam amplius ſe poſſe retinere in officio, reuocant ſtatim colonias e Dacia, easque in Moeſiam ac Thraciam collocant, paucis ſolummodo familiis, in agris Dacicis derelictis, quas feces et manipulos furum nominant Romanorum Scriptores. Quo reſpicit et *Reichesdorfius* * ſic ſcribens: „Valachi, huius Prouinciae incolae, in quibusdam deſertis poſſeſſionibus, et villis reſident. Genus hominum durisſimum, nec niſi armentis, et pecoribus, plerumque etiam furtiuo pecorum, et equorum abigeatu ſe alentes. Hi, more ſuo, piloſis, ſiue hirſutis, ex lana caprina, et ouium contextis, ſuàque manu elaboratis, amiciuntur veſtibus, nullis penitus legibus humanis obſequentes. Cum ergo in Bulgaria et Seruia, praedicto modo, per aliquot Secula in ripis Danubii reliquiae iſtae Romanorum conſediſſent, ** ibique cum Bulgaris, Thracibus, Syrbiis, Liguriis, aliisque populis vicinis fuiſſent vniti, et in dies magis ac magis a virtute parentum receſſerint, maternamque linguam, quae adhuc auitae puritatis aliquid retinuerat, foedabant, aſſumtis videlicet tot vocabulis barbaricis peregrinis, adeoque corruptisſimam reddebant, vt ferme nihil de-

nito-

* Loco cit. fol. 568. ſqq.

** vid. *Toepeltinum* in origine et occaſu Tranſiluanorum Cap. 6. pag. 53. Lugduni in duodec. 1667. cf. et *Flauius Vopiſcus* in Vita Aureliani.

nitore priſtino, haberet reliquum. Quae Regna circa Danubium ſitum habentia, mox orientalium Imperatorum ſceptro fuerunt ſubiecta, vnde et Romanorum iſti poſteri facti ſunt eorundem ſubditi, quo et *Carion* ita ſcribens: * „Latuerunt Valachi „aliquamdiu quieti in Moeſean trans Iſtrum colloca„ti, et Conſtantinopolitanis Imperatoribus paru„erunt, commixtione Sarmatarum, aliarumque „Gentium ſubinde aucti, et in peius mutati.

Ne ſibi Valachorum Anteceſſores in his terris deeſſent in ripis Iſtri illa caſtra, quae ibidem et hodie conſpiciuntur, teſte Mappa Geographica v. g. Braila, Daia, Cernauoda, Raſſouat, Driſtra, Popina, Cuſſunt, Turtucaia, Giurgeua, Oddaia, Codiuoia, ſecuritatis quaerendae gratia ſibi aedificaſſe, ne ab Hunnis, Gothis, ac Dacis e Tranſiluania erumpentibus, dederentur. Quod vel ipſa nomina Caſtrorum, ex corrupta latinitate orta oſtendunt, cum illis monumenta Romanae ſuae virtutis, quae in illis adhuc occurrere dicuntur. Quo referatur et Hiſtoria Valachiae, idiomate Italico ab Antonio Maria del Chiaro, Venetiis conſcripta. Mox Valachi ex hac parte, verſus Septemtrionem ad Podoliae, Ruſſiaeque fines ſemet extendentes habitacula mutarunt, ibique tam agriculturae, quam rei pecuariae operam dediſſe, leguntur. Cum circa ſeculum IX. Bulgari eorumque vicini ad chriſtianam fidem conuerterentur, ipſi quoque Valachorum parentes, abiecto idolorum cultu Chriſto nomen dederunt, *Lothario* ſiue *Ludouico* II in Occidente, in Ori-

* In Chronico ſuo pag. 883.

Oriente autem *Leone Philoſopho* Imperatoribus, a quibus his Valachis, Epiſcopi, Diaconi, Popae, omniaque ad chriſtianae religionis propagationem ſpectantia ſubſidia ſunt ſuppeditata. Certe, ſi dicere licet L. B. quod hic ſentio, mihi res haud parui momenti videtur, quod Valachi, ſiue hae Romanorum reliquiae, non occidentali, ſed orientali Ecclesiae, quoad Religionem ſunt iunctae, et ita a Papiſmo quam longiſſime remotae. Quo reſpectu Ruſſorum habent litteras, ritus, et ceremonias. Mihi adparet, quaſi per hoc etiam aliquid intendiſſet Deus, cum futuro tempore nobis reuelandum. Vnde haud obſcure patet, quod hodie nemo in Hiſtoria Valachica conſcribenda, quae ferme nullum publicum habet Hiſtoricum, feliciter progredi queat, niſi Thraciae, Bulgariae, Seruiae Scriptoresque Bizantinos adhibuerit in auxilium, quoniam Valachorum res geſtae ſub orientalium Imperatorum imperiis, illis Hiſtoriis inuoluuntur. Quocirca mihi erraſſe videtur *Petrus* de *Reua*, quando in Monarchia, ſiue ſacra, Regni Hungariae, corona, * ſequentia ſcribit: „*Belam* IV. Regem, Valachos ad „fidem Chriſtianam perduxiſſe, cum Hiſtoria Bulga„ria, ritusque ruſſici in cultu ſacro a Valachis ho„die adhibiti, contrarium doceant. Habes ergo L. B. populum Valachicum Tranſiluaniam a tot ſeculis inhabitantem, ex variis Gentibus circum danubianis quaſi compoſitum et conflatum. Habes Valachorum linguam, tantis vocabulis peregrinis, et obſoletis, de ſua populari commixtione, lucu-

len-

* Centur. VII. fol 148.

lentiſſimum teſtimonium perhibentem. Habes denique fontem variorum morum, quibus hodie Valachi noſtri imbuti ſunt, prae reliquis populis, hic quaſi patefactum. Ab antiqua, ad Hiſtoriam medii aeui Valachicam, eo celerius iam progrediamur, quo notabiliora, et conſideratione digniora momenta et in illa nobis occurrunt. Inter quae primum ſane tenet locum, ſollenniſſima illa Valachorum ſupra dicto modo in Tranſiluania hactenus remanentium emigratio, quando videlicet *Galienus* propter crebros Gothorum tumultus, et multarum aliarum Prouinciarum defectionem, vt et imminens a ſuis periculum, militiam Romanam e Dacia in Vianam Meſiam trans Iſtrum collocaret, adeoque ſic prouincialibus aſſerendae occaſionem libertatis ſuppeditaret. Qui, derelicta Tranſiluania, in terras vicinas, fertilitate, bonitate ac felicitate, ſi non ſuperiores, tamen huic noſtrae Tranſiluaniae pares et ſimiles, in quibus hodie Valachia et Moldauia ſitum habent, ſemet cum reculis et filiis contulerunt. Cuius ſollenniſſime peregrinationis a Valachis circa initium Seculi XI ſuſceptae cauſſae fuiſſe; videntur variae. Vixerat, ſcilicet haecce Romanorum Colonia a tempore *Traiani* hoc in Principatu, ſub Imperio Gothorum, Hunnorum, tanquam ſerua et ſubdita, cui ad honores publicos, nullus fuit datus acceſſus.* Quorum, ne amplius iugum ad ſceptrum ſatis durum ſentiant, de libertate recuperanda hoc modo cogitarunt. Hinc abunde liquet quod aliam rationem habeat incolatus Tranſiluaniae Valachicus, quam incolatus eiusdem Saxonicus, quippe Gens Valachica nihil aut parum iuris habet in hanc Prouinciam, a quocunque tempore ſub ſeruitute vixit. Quia vero Gens haec mira ſub foecunditate adeo excreuerat, vt ferme nec angulus huius Prouinciae ſupereſſet vllus, in quo Valachus non deprehenderetur: vix inueniebantur loca nouis domiciliis extruendis ſufficientia; qua de cauſa propter locorum anguſtiam, de abitu

* videatur hic pluribus M. Martin. *Kelpius* Holduilagyenſis Saxo Tranſiluanus in Natalibus Saxonum. Cap. II. §. 14. Lipſiae 1684.

tentando meditabantur. Facile huic ſententiae adſtipulabuntur, quicunque fertiliſſimum hodiernorum Valachorum ſtatum non ignorant. Videres et in Caſis eorundem ſaepe plures cunas infantibus repletas, quam ollas carnibus oneratas; quas ſi ingrediaris plures, me hercule, Tibi occurrent infantes, humi repentes et vagientes, quam muſcae parietibus inſidentes. Nec etiam mirum, cum enim, vt plurimum Valachi ſint robuſti, obeſi, ſanguinolenti, ſegnes, ac pultibus, piſcibus, cepis, aliisque cibis corpori humano nutrimentum ſuppeditantibus, vinoque generoſiſſimo quotidie largius fruantur, non poſſunt non carnis ſuae ſentire ſtimulos et vſtiones, atque ſic in multiplicationem Generis ſui, mirum in modum propendere. Emigrandi anſam dabat inprimis Valachis quoque ingens illa Tartarorum eruptio, qua Tartari A. 1233. primo deuaſtarent Hungariam, Tranſiluaniam cum annexis Regionibus; quod in Inſcriptione Templi Coronenſi perſpicue legitur. Nam Dacia depeſtris, ſub qua Valachia magna et Moldauia continetur, tantopere deſolabatur, vt cunctis ferme incolis deletis nihil amplius ſupereſſet in illis, quam vaſtisſimum deſertum innumeris vepretis, carduetis, et vrticetis quaſi conſitum. Quae loca in ſe quidem fertiliſſima et producendis varii generis fructibus a Creatore bene accommodata, ne manerent deſerta et inculta, nulliusque hominis vſibus inſeruientia, arque vt in locum incolarum a Tartaris incidatorum adeſſent alii, et quidem ex conſanguinitate eorundem, qui has terras occuparent, et iteratæ culturae ſubiicereut, eo rem quam ſapientiſſime direxit Deus, vt circa Seculum XII a Valachis Tranſiluaniae valedicentibus, duo illa Regna, Valachicum ſcilicet et Moldauicum, quae poſt modum per orbem ſatis celebria facta ſunt, ſint condita et fundata. Hoc fine e Diſtrictu Fograſchienſi maximus Valachorum numerus ſub Duce quodam, qui *Niger* ſiue *Negrouot* vocabatur, verſus meridiem cum familiis et reculis, per alpes Burciae noſtrae conterminas circa initium Seculi XII, peregrinatus eſt, ibique Oppidis

nem-

nempe Terguiſto, Buckereſt, Campo longo, Piteſto S. Georgi, quod Oppidum tandem *Sigismundus* Imperator, Rex Hungariae, muris et aliis aedificiis inſtaurauit * ac Monaſteriis, pro temporum ratione, cum templis vbique extructis, vineisque plantatis, hodiernæ Transalpinae dedit ortum ac initium. Quod non modo Manuſcriptum aliquod Valachicum incerti auctoris confirmat, verum etiam ſenum Valachorum relatio, quae in traditionibus ab atauis acceptis vnice fundatur, abunde comprobat. Interim miror haud parum, quod nullus Hiſtoricorum, tam domeſticorum, quam exotericorum emigrationis huius mentionem fecerit, licet ignota manere non potuit. Videtur tamen vel inde mihi vero ſimilius, quod vtriusque Valachiae Principes noſtris Valachis patrocinantur, tanquam fratribus, immo ad ſtructuram templi Valachici, quod in ſuburbio Coronenſi ſuperiori exiſtit, maximam pecuniarum ſummam dimiſerint, iisque in omnibus rerum anguſtiis adſint, auxiliatrices porrigant manus, poſſibilique modo iuuent, immo apud Imperatores et Reges pro iis intercedant. Hanc ergo Daciae Alpeſtris partem occupantes, e medio ſui, Principem conſtituerunt ſibi, qui ſub nomine *Vaiuodae* ſiue *Deſpotae*, toti Regioni praeeſſent, ac rem publicam Valachicam, pro norma legum ſuarum adminiſtrarent. Secutus eſt *Nigrum* in Regimine A. 1320. dictus *Vailado* vt habet *Hornii* Arca Noae.** Poſt hunc regnarunt *Rădul* ſenior, et filius eius *Rădul* iunior, quem eiecit *Mirce* ſiue *Mareus*.*** Mox *Rădul* hic denuo reſtituitur.**** De reliquis Transalpinae Deſpotis, alibi a nobis actum eſt, ſcilicet in Hiſtoria Valachorum ante biennium methodo Cellariana a me elaborata, ad hodiernum vsque Valachiae Principem, quam, Deo vitam prolongante, Scholiis quibusdam auctam, ſimiliter cum exteris communicabo. Poſt haec

 in-

* vid. *Iſtuanſius* in Hiſtoria Hungariae lib. XIX. fol. 676. et 763.
** pag. 309.
*** De quo vide. *Iſtuanſium* loco cit. Lib. XXI. fol. 428.
*** Iſtuanſ. referente loco cit. Lib. X. fol. 150. ſqq.

inualeſcentibus Hungariae Regibus, crebris Valachia bellis vexata fuit, praeſertim ſub *Carolo Caroli Martelli* filio, eiusque ſucceſſore *Ludouico* I Seculo XIV, imperantibus, qui iteratis expeditionibus Valachos tandem domuerunt, et tributarios ſibi fecerunt A. 1382. *Ludouico* defuncto Valachi frena mordere coeperunt, ſed ab inualeſcentibus in vicinia Turcis, non multo poſt, grauiter ſunt afflicti, Nam, A. 1391. cum Hungaria inteſtinis motibus, ob *Caroli parui*, *Blaſii*, *Torgátſchi* et *Iohann. Horuáti*, vt et *Sigismundi* Poloniae Regis contentiones diſtraheretur et turbaretur, Turcae ſub *Baiazete* I. Imperatore, primam fecerunt in hanc Prouinciam irruptionem, crebriſque excurſionibas eandem populati ſunt, ac magnas praedas abduxerunt. Altera Turcarum irruptio contigit 1394. ſub eodem Baiazete, cui ſe ſe Vaiuoda Marchicus maſcule oppoſuit, Turcasque ad Nicopolin feliciter expreſſit, quae illa eſt vrbs memorabilis, et Chriſtianorum Turcarumque conflictu notabilis, ad quam A. 1396. die 28. Septembr. *Sigismundus* Hungariae, Bohemiaeque Rex, poſt modum Imperator Romanus factus, cum Turcis conflixit, in qua pugna Chriſtianorum 20000 ac Turcarum 80000 occubuerunt. Seculo XV. exorto A. 1415. maiorem Valachia perpeſſa eſt calamitatem; quandoque *Mahomet* I. Imperator Turcarum ingenti cum exercitu eam eſt ingreſſus, igne ac ferro omnia miſcuit, Vaiuodamque, qui eo tempore praefuit Valachiae, *Dán* dictum, eo compulit, vt annuum tributum ipſi ſoluere cogeretur. A. 1424. Vaiuoda iſte defecit a Turcis, cuius perfidiam vlturus *Amurates* II. Imperator, in Prouinciam properauit, magnaque praeda potitus Principe etiam ad officium redacto, receſſit Nec potuit Valachia iugum Turcicum excutere, vsque dum Turcae ex tota Hungaria pellerentur a Germanis, quod A. 1688. contigit; quo anno Valachi legatis Viennam dimiſſis, pacta cum Caeſare inierunt, eiusque tutelam ſuſceperunt. Rebus Valachorum ſic ſtantibus, reſidui Valachi in Tranſiluania quieti non remanſerunt, ſed de noua perfectione inſtituenda, cogitarunt, et quidem in tractu Marámoroſienſi, quibus Mol-

da-

dauia, ſimiliter fertiliſſima Regio, ſed nimium deſolata, anſam emigrandi dare videbatur. Erat ibidem vir quidam non contemnendus inter Boierones, cuius nomen erat *Bogdan*, qui multis ibidem collectis, et e Tranſiluania conſcriptis, circa exitum Seculi XII per Siculiam in illas terras, quae inter Podaliam et Beſſarabiam ſitae ſunt, ad illas incolendas et inhabitandas, quae hodie dicuntur *Moldauia* a praeterlabente fluuio *Modau*. * A quo primo fundatore *Bogdáno* Regio etiam *Bogdania* dicitur. Notari etiam debet, quod haud raro Valachia nigra vocitetur a frumento videlicet quodam nigricante, quod illic abunde prouenit, vt habet Anonymus quidam.** Qui *Bogdanus* pro ea qua pollebat prudentia, tam ſacra quam ciuilia ordinauit, eaque omnia, quae ad ſalutarem tam Eccleſiae, quam Reipublicae conſtitutionem pertinere videbantur, inſtituit cum *Alexandro* ſucceſſore ſuo. Eoque fine ab Epiſcopo Conſtantinopolitano Archi-Epiſcopeam cum ſacrificalis honorifice expetiit, pro cultu Dei Graecorum ritu in Moldauia ordinando, quod ſatis fuſe et erudite D. *Volfius* Gente Polonus, nuper in Valachia defunctus, Principis de *Mauro Cordato*, per multos annos Secretarius Aulicus, in Panegyrico ſuo, in laudem Vaiuodae ſui conſcripto, recenſuit. Ita Bogdánus Regni hodierni Valachi fundamenta iecit, ac Oppida praecipua extruxit, ſcilicet Sozouam, Iaſchinum *** Romanopolim cetera. In qua dantur Ruſſi, Poloni, Raſcii, Armenii, Valachi et Tartari, quorum priores duae Gentes Pontificiam, mediae Graecam, vltima Mahometanam ſequuntur ſectam. De Tartaris quidem hoc obſeruandum, quod in finibus Beſſarabiae 500. proprias habeant ſedes, ac Principi Moldauorum iuramento ſint obſtricti, ad bellum contra Tartaros etiam extraneos gerendum. Multa denique dantur cœnobia in Moldauia, ſicut in Valachia, vbi certus Monachorum numerus alitur, qui *Ca-*

* Vide *Hornius* in Arca Noae pag. 309.
** in Chron. Turc. Hung. §. 113.
*** Vide *Iſtuanfium* loco cit. Lib. 20. fol. 403. et 405.

lageri dicuntur, ac eaſdem quas Monachi Graecorum obſeruant ceremonias, ſimilique etiam cultu vtuntur. Neque hic praeterire poſſum quin adiiciam de Saxonibus noſtris hac occaſione cum Valachis partim in Moldauiam, partim in Valachiam diſcedentibus, quod certe duobus Seculis ante certamina Huſſitica, ſub quibus in Papatu pariter familiae Saxonicae, vt habent Manuſcripta quaedam, ob religionis ſuae exercendae libertatem, has terras occuparunt, ibique domicilia ſecura ſibi quaeſiuerunt, accidiſſe conſtat; quod hodie tam picturis templorum vtrobique conſpicuis, quam ſepulchrorum Inſcriptionibus comprobari poteſt. Notatu etiam dignum eſt, quod haec Moldauia, ante Valachorum occupationem, exulum Romanorum quondam fuerit receptaculum.** Quod vel Ouid. Naſonis huc allegati exemplo planum eſſe poteſt: Quemadmodum enim nulla ciuitas, nullumque Regnum ſine Directore diu conſiſtere poteſt; ita et Moldaui e medio ſui Principem elegerunt, qui ſub titulo *Vaiuodae* rem publicam gubernaret. Poſt haec inualeſcentibus Hungariae Regibus crebris, et Moldauia bellis fuit vexata, praeſertim ſub *Carolo Caroli Martelli* filio, eiusque Succeſſore *Ludouico* aliisque qui circa Seculum XIV. iteratis expeditionibus Valachos domuerunt, ſibique Moldauiam tributariam fecerant, quod a *Bonfino Iſtuanſio* aliisque Rerum Hungaricarum Scriptoribus prolixius habetur demonſtratum. Anno tandem 1282. cum in Hungaria ciuile ſæuiret bellum, Turcae primam in Moldauiam fecerunt irruptionem ſub *Mohomete* I. Turcarum Imperatore, maxima ex illis abducta praeda. Quinam Principes Moldaui a Bogdáno ad hodiernum vsque diem in Moldauia regnauerint, et quot bella cum Principibus Tranſiluanorum geſſerint, quoue euentu, et rerum ſucceſſu, recenſui in ſupra citata Hiſtoria Valachica a me elaborata. Vbi addo, quod nemo Hiſtoriam Rákotiorum, Bátoriorum rite conſcribere queat, niſi Principum Valachicorum vitas euoluat, eorumque mores ſibi reddat notos. Ita de *Brácula*, *Radulio*, *Stephano*, *Petro Alexandro Iacobo Heraclide*, *Demetrio*, *Tomſa*, *Iancula*, *Patcoua Araone*, hoſtiliter egreſſis, Barziamque cum aliis Tranſiluaniae Sedibus deuaſtantibus, breuitatis cauſſa nihil addere poſſum. Quocirca propero modo ad recentiſſimam Valachorum Hiſtoriam, cuius initium duco a pace Carlouiciana poſt cruentiſſima bella inter vtrumque Imperatorem geſta, A. 1699. inita

* Quemadmodum *Piaſetius* in Chronico ſuo Polonico p. 52. circa finem teſtatur.

initâ. Sicuti ergo Seculorum initia plerumque Regnis ſolent eſſe fatalia, variorumque malorum praenuncia: ita & huius Seculi XVIII. auſpicium vtrique Valachiae fuit ominoſum, multumque attulit infelicitatis & infortunii. Cum enim cedente Auguſtiſſimo *Leopoldo* Imperatore, tempore inſtitutæ pacificationis Carlouicianæ, duo hæc Regna Valachicum Moldauicum videlicet, & Valachicum, vlterius ſub Turcarum remanerent Imperio; non incolæ meliora & pacatiora ſibi compromittere, de Tyrannide Turcica per experientiam ſatis ſuperque edocti ſumus. Videbat vtrobique cuncta e ſuo loco quaſi mota & diſiecta, ac in certiſſimam Imperiorum ruinam deuoluta, adeo, vt ciuibus vtriusque Regni, præter gemitus & ſuſpiria ſupereſſet nihil. Videbas peſtem per vtrumque Regnum nimium ſæuientem, quæ nihil aliud quam ſummam Regnis inferre ſolet vaſtitatem, maximumque Ciuium numerum Libitinæ offert. Quæ grauiſſima Dei iudicia iam pridem Valachi in vtroque Regno cum peccatis ſuis regnantibus ſibi adtraxerant, præſertim a quo cum Italica lingua, & vitia huic populo familiaria, ſiue domeſtica ſibi fecerint propria & conſueta, de quibus fuſius alibi. Qua ratione Princeps Principem e medio ſuſtulerit, & potu venenato interemerit, ſuis in locis a nobis eſt dictum. Quomodo Boierones ſemet ipſos prodiderint, & perduellionis cuiusdam commiſſæ, apud Turcarum Imperatores falſo accuſauerint, vel ex *Conſtantini Canteazeni*, Principis nunquam ſatis laudandi, vita, quam ſimiliter in Manuſcripto poſſideo, abunde liquet. Quam dura fata, & eius Succeſſor ac filius, *Stephanus* Vaiuoda Transalpinenſis, Deo ſic permittente ſimiliter ſentire coactus eſt, ſcilicet, pariter infidelitatis cuiusdam, ſine cauſſa adcuſatus, cum omnibus filiis, nepotibusque. A. 1714. miſere capite eſt plexus. Hoc in miſerrimo rerum ſtatu, vtraque Valachia manſit ad A. 1716. vsque, quo nouo inter vtrumque Imperatorem exorto bello, Belgradoque expugnato, Milites Cæſareani in Banatum Cracouienſem, viæ Ductore rebelli Valacho, *Barbul Serdar* dicto irruerint, huncque terræ tractum Sceptro Caroli VI. Imperatoris, piæ memoriæ, ſubiicerent. Quomodo tandem Banatus iſte Cracouienſis formam ditionis Cæſareanæ acceperit, & ab erecto itidem Gubernio in bonum ordinem fuerit redactus, Fama Europae prolixius docebit. Si quidem Hiſtoriam tractat recentiſſimæ Hiſtoriæ. Regebat hoc tempore Valachiam, ex gratia Imperatoria Turcici *Nicolaus Mauro* d. *Scarluti*, Doctiſſimi Alexandri, ſub eodem nomine Portæ Ottomanicæ, interpretis filius litteratiſſimus, cui ob

paren-

parentis merita, & Rem publicam Moldauicam antea rite adminiſtratam, Sultanus cum Principatu Valachico, limitatam quoque Valachorum cuſtodiam, aduerſus exercitum Cæſareanum, vel ideo concrediderat, quod de eius fidelitate, dexteritate & conſtantia vlterius continuanda, dubium haberet nullum. Aſt *Nicolaus* a ſuis miniſtris ac aulicis præter ſpem proditus a raſciis Cæſareanis alatam, ex improuiſo traiicientibus, & per auia ſiluarum, occultasque vias Bukreſtinum occupantibus, Principem in vincula nocte coniiciunt, ac per Barciam noſtram cum cariſſima coniuge & Sobole, Cibinium deducunt. Qua ratione ibidem in Areſto ab officialibus Cæſareanis fuerit exceptus, qua ratione fatum ſuum domeſticum tulerit, & tempus lectione bonorum librorum conſumſerit, Panegyriſta ſupra laudatus D. *Wolfius* nempe in ſermone ſuo Panegyrico, prolixius refert. Pace tandem Paſſarouitiana in Seruia inter Chriſtianos & Turcas facta, rurſus *Nicolaus* a Sultano Valachiæ in Principem fuit datus, maximo totius Prouinciæ gaudio, & incremento. Quid cum eo tandem actum ſit, quilibet in Fama Europea inuenire poteſt. Vbi etiam exſtat, quo modo annis ſequentibus ſub dominio *Conſtantini* Principis, hodie Moldauiæ Deſpotæ, Turcæ iterata vice impetum in Valachiam fecerint. Non neglectis iisque in Moldauia geſta ſunt, dum *Münchenius* ſupremus Rutenicarum copiarum Dux, cum exercitu ſuo Moldauiam inuaderet, eamque Imperatrici Ruſſiticæ ſubiiceret. Quid deinceps cum duobus iſtis Regnis Valachicis, nobis Coronenſibus vicinis futurum ſit, ille nouit, apud quem futura ſunt præſentia. Cuius defenſioni, perpetuæ curæ ac protectioni deinceps etiam nos noſtraque committimus.

MANTISSA.

Quia memini ſupra quædam eſſe omiſſa, propter nimiam in ſcribendo feſtinationem, vbi in Hiſtoria medii æui de Valachorum abitu in vtrasque Valachias, eiusque cauſſis aliqua dixi. Quæ huc adiiciam, officioſe B. L. rogaturus, haud grauatim hæc locis ſuis inſerat: Prima itaque cauſſa eſt abitus Valachici, maximus paſcuorum defectus, non ſuffecturus tot armentis pecorum, pecudumque alendis, poſtquam reſciuiſſent in vtraque Valachia magnam eſſe camporum planitiem, pratorum, alpiumque copiam. Secunda eſt, Græcæ ſuæ Religionis libertas, qua poſſent eandem exercere ſine vllo vrituræ turbationis metu. Tertia, contentiones & lites, quas cum Hunnis & Gothis, propter paſcuorum paucitatem ſubinde habebant, eos diſcedere alioſum iubebant. Interim maximus adhuc numerus in Tranſiluania noſtra remanſit in hunc vsque diem, vt ferme ſuperet numerum Hungarorum & Saxonum. Nec datur ſedes ac diſtrictus per Tranſiluaniam, qui deſtitutus eſſet incolis Valachicis. Omnia enim Oppida, omnes Pagi, omnes Villæ repleti iisdem, quorum plurimi paſtoritium vitæ genus ſequuntur, ac diurno labore victum ſuum acquirunt.